Staats- und
Universitätsbibliothek
Bremen

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen

Digitale Sammlungen

[Mit Teil von Relatio VIII] DE MENSE MARTIO Anno 1626..

1626

Visual Library

quantumvis eximio, neceſsitate id poſtulante, parcerent. Eodem die in templo S. Mauritij cathedrali publicè hymnus, Te Deum laudamus, eſt utraq; muſica decantatus: ſuntq; Deo gratiæ actæ pro Electoris Saxoniæ Filij Augusti, annos 14. nati, in coadjutorem Archiepiſcopæ Magdeburgenſis electione.

DE MENSE MARTIO

Anno 1626.

Relatio cauſarum, cur Brunſvicenſis conventus proximus ſine fructu diſſolutus fuerit.

B*Runſvigâ* a. d. 24. Martij accepimus, cur Pax quæſita non potuerit inveniri, ejus rei has fuiſſe cauſſas primarias. 1. enim *Tillei* Commiſſarij & Wallenſteini *juſſerunt* Sereniſsimum *Regem Daniæ* totum ſuum exercitum dimittere purè & plenè: ſe autem ſuas copias tantùm abducturos, dixerunt. ſed cum hoc ipſum *inferioris Saxoniæ* circulo minus placeret, propterea, quod exiſtimabant fieri poſſe, ut, licet Bavaricæ legiones Tillæanæ & reliquæ Conſtantinopolin uſq; ducerentur, paullò poſt tamen, recrudeſcente Pontificiorum furore, reducerentur, & ante opprimeretur Circulus, quàm rurſus ad arma conclamaret. Itaq; *Circulus* reſpondit, ſe exercitum ſuum dimiſſurum, ſi idem facerent Adverſarij: & tùm in honorem Cæſareæ Majeſtatis primos fore in exauctoranda legione aliqua: ſed ita, ut adverſa pars ſimiliter ſtatim & ipſa unam magnitudine & numero parem miſſam faceret. Id. mq; ſe facturos per vices in cæteris cohortibus deponendis, uſq; ad duas ultimas legiones, quæ uno tempore deberent ſacramento utrinq; abſolvi: verum hanc conditionem Tillæi accipere noluerunt. 2. *Recuſarunt Adverſarij* confirmare,

mate Noſtris, Pacem & religioſam & profanam ſartam tectamq; manſuram: nec *Elector Saxoniæ* voluit ſuam fidem hic interponere, ſi nempe ab altera parte Pax vel religioſa vel Politica frangeretur, ſe tum laboranti Circulo ſubventurum, ejusq; contra vim Pontificiorum, patrocinium ſuſcepturum. *Tillæi* autem regeſſerunt, hoc negotium Pacis pertinere ad ſublimius ſolium. 3. *Voluerunt* quidem alia loca, poſtquam ea miſerrimè everterunt, Circulo, ſine ulla damni illati reſarciendi ratione, reſtituere: ſed Hoxarium & Mindam, duo illa primaria loca, quæ quaſi Circuli claves ſunt, &, per quas ad hunc hoſtibus aditus patet, duæ januæ, Tillæus ſibi retinere voluit. 4. Cum *Circulus* inferioris Saxoniæ & hoc ſibi ab Adverſarijs promitti poſtularet, ne Principes & ſtatus Circuli mandatis ex aula Cæſarea ſine clauſula, ut vocant, alijsq; iniquis & *moleſtis proceſſibus*, quemadmodum hactenus factum, deinceps vexarentur: ad hæc petita Tillæi aliquoties ſcripto reſponderunt, Cæſaream Majeſtatem in expeditione juſtitiæ (quam illi habent Ieſuiticam) ad preces hujus vel illius partis ſibi liberam, impeditam & nullis cancellis circumſcriptam Cæſaream manum retinere velle: in quod quidem nemo ſanus conſentire potuit: cum ex his verbis palam videre ſit, conſtituiſſe Adverſarios, novos & non probandos illegitimosq; proceſſus aulicos, horumq; Executiones, manu militari Ligiſtica, & non ad præſcriptum Ordinationis per Imperium Executivæ vetus & uſitatum, introducere, & hoc ipſo Germanicæ Nationis Libertatem funditus tollere. 5. Etſi Adverſarij Circulo reſtitutionem eorum, quæ occupaverunt, ſine facturæ compenſatione, obtulerunt: ijdem tamen *animosè poſtularunt*, Duci Lunæburgico Cellenſis lineæ, & Epiſcopatui *Hildeſienſi*, &

aliis reddi omnia, quæ Regius miles teneret, & quidem tali facie, taliq; cultu, quo fuerunt, antequam occuparetur: ad quæ recuperanda ipſis quaſcunq; actiones ſolenniter & expreſſe reſervarunt. Quia ergo paullò ante Adverſarii ſibi Cæſaream manum liberam deſponderant; luce hac meridiana clarius patebat, *dimiſſis Circuli copiis, unis litteris ab aula Cæſarea potuiſſe* Lunæburgenſem, hujusq; ſocios *mandata ſtricta impetrare*; quibus ſi Circulus nō geſſiſſet morem, ſtatim cervicibus ipſius *Tillium* & Wallenſteinius, mandata illa quaſi executuri, imminuiſſet: fuiſſetq; hac ratione Adverſariis feneſtra patefacta ad ſubjugandum Circulum.

Interim tamen Regia Daniæ M^tas, cæteriq; Principes & ſtatus Circuli proteſtati ſunt, ſe nec hactenus Electoris Palatini partibus ullo modo obnoxios eſſe, nec deinceps facturos. Si verò futurum eſſet, ut Adverſarii ad incitas molirentur rem hanc redigere: & ad extrema perſequenda decurrere: tùm fortè, dictum eſt, *poſſe, neceſſitate urgente, ad ea pervenire* conſilia, quæ hactenus graviſſimis de cauſſis fuiſſent repudiata.

DE 4. MARTII Anno 1626.

PRincipes & Status circuli Saxoniæ inferioris ante diſceſſum ſuum ex urbe Brunſviga publicè litteris impreſſis proteſtati ſunt, quod cohortes & legiones ſub Imperio S. R. M^tis Daniæ alerent, id fieri neceſſitate urgente, & tamen juxta ſacri Imperii Romano Germanici ordinationes Executivas, jam à multis annis obſervatas; geriq; à ſe non bellum offenſivum, ſed defenſivum: ſeq; , cum id in animo habuiſſent, pro candido & aperto Germanorum animo, ad amoliendas omnes ſuſpiciones, quæ à flabellis malignis exuſcitari potuiſſent, S. Cæſareæ M^ti ſcripto decenter ſignificaſſe, conſcribi à ſe militem, non ut S. Cæſaream Me-

aliosq́ ſummos Imperij ſtatus læderent, ſed tantum hanc unam & ſolam ob cauſſam, ut à vi hoſtili ſe ſuaq́ tutarentur, atq́ maximo precio partam in religioſis & profanis negotijs libertatem, cum exercitio Auguſtanæ Confeſsionis, tanquam ſummi & incomparabilis tantiq́ boni, quanto nullo alio Principes & ſtatus in hac vita cumulari & affici poſſent, ſibi per Dei Gratiam conſervarent: utq́ Impreſsiones, & exercitus hoſtiliter cum amicis agentis præſidia averruncarent. Licet autē Principes & ſtatus ſuam S. Cæſareæ Mti fidem, amorem, officia, obſervantiam erga illam, & ſubmiſsionem ſemper probaſſent, &, dum viverēt, probaturi eſſent, ita, ut ſubditos & vaſallos fidos decet, nec cuiquam honeſto homini occaſio vel data ſit darive poſſet convincendi circulum ullius perfidiæ, aut eſſe ab eo quicquam his proximis annis geſtum, quod vel minimo apice cum hac ſua debita in Cæſarem obſervantia pugnaret: tn. notum eſſe, quomodo hæc eorum fides & candor remunerata fuerint. Conſtare n. & eſſe in propatulo: menſe Iulio præteriti anni 1625. Bavarſcæ aut Catholicæ Ligæ Generalē legatū Tilli & deinde Fridlandicum ita crudeliter in Circulo inferioris Saxoniæ graſſatum eſſe, ut ne quidem ab infeſtiſsimis Chriſtiani nominis hoſtibus pejus quid aut crudelius immaniusq́ exſpectari potuiſſet.

Quare ſe cæteros quidem Evangelicæ aut Auguſtanæ Confeſsionis affines, officiarios, Equites & pedites, qui adverſarijs militent, monere, ſuis a. Vaſallis & ſubditis ſeriò præcipere, ut relictis perſecutoribus veræ doctrinæ quiſq́ domum ad ſuos intra menſem redeat; niſi velint vaſalli & cives, quod certò futurum eſſet, in ſe tanquam hoſtes & proditores patriæ ferro & gladio privationeq́ honoris dignitatis omniumq́ bonorum animadverti: reliqui a, miſerrimè, ſi deprehenderentur, interfici. FINIS.

Staats- und Universitätsbibliothek Bremen
DFG